

SCRIPTA

Numéro Scripta : 5657

Auteur(s) : Jean II de La Cour d'Aubergenville, Évreux (évêque)

Bénéficiaire(s) : Trinitaires (ordre)

Genre d'acte : vidimus

Authenticité : non suspect

Datation : 1250, mars

Action juridique : donation

Langue du texte : latin

Analyse

(Vidimus de la charte de 1247.) Jean, évêque d'Évreux, vidime la charte du chevalier Gilbert, seigneur des Essarts, par laquelle ce dernier donne la chapelle qui'il a construite à la Poultière aux frères de l'Ordre des Trinitaires et leur fait plusieurs donations.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Delisle Léopold, Passy Louis, *Mémoires et notes de M. Auguste Le Prévost pour servir à l'histoire du département de l'Eure*, Évreux, Hérissé, 1862-1869, 3 vol., t. 2, p. 217-219.

Dissertation critique

Mars 1250 ou 1251 (nouveau style) : Pâques tombe le 27 mars en 1250 et le 16 avril en 1251.

Texte établi d'après a

Johannes, Dei gratia Ebroicensis episcopus, universis presentes litteras inspecturis, salutem in Domino. Noveritis nos litteras nobilis viri G., domini de Essartis, militis, non cancellatas, non abollitas, nec in aliqua parte sui viciatas, verbo ad verbum vidisse et inspexisse sub hac forma :

In nomine sancte et individue Trinitatis, amen. Universis presentem paginam inspecturis vel auditoris, Gillebertus, dominus de Essartis, miles, salutem in Domino Jhesu Christo. Quoniam difficile est habitantibus super terram incursus evadere delictorum, expedit humano generi divinum suffragium acquirere, per quod in terris meritum et in celis premium augeatur. Cum igitur ego Gillebertus predictus olim in villa mea que vocatur Pouteria juxta forestam Britolii, pro salute anime mee necnon et animarum antecessorum et successorum meorum, in honore Dei et Beate Marie semper Virginis, quandam capellam erexissem, ac in ea per dyocesanum meum capellanum divino servicio mancipatum canonice institui absque alterius prejudicio procurassem, et eidem capellano pro vite stipendiis certos redditus assignassem, tandem advertens quod qui magis seminat magis metet, ac volens in capella predicta, tam divinum servicium quam personas ydoneas augmentare, bonorum fretus consilio, ac super hoc deliberatione habita cum nobili muliere Margareta, uxore mea, necnon et Johanne ac Rogero, liberis et heredibus meis, de eorum assensu communi et voluntate, tam predictam capellam, cum manerio Radulfi quondam dicte capelle sacerdotis, et omnibus redditibus assignatis eidem et eorum pertinentiis, quam fundum terre omnium predictorum, sacerdotis, predicti interveniente assensu, viris religiosis fratribus ordinis sancte Trinitatis et captivorum, quibus bona temporalia sua ad honus dispensationis accrescunt potius quam ad usum, dono et concedo et imperpetuum confirmo in usus proprios sibi convertendos et habendos, secundum sui ordinis regulam et statuta. Hec autem omnia et singula que inferius sunt notata capellanus dicte capelle antea possidebat, scilicet domum predictam, sive manerium,

sexaginta decem solidos in censibus meis de Essartis, talibus terminis reddendos, videlicet in purificatione beate Virginis, de tenemento Radulfi dicti Piegris triginta quinque solidos, et de tenemento Stephani de Calida Mareta totidem ad eundem terminum, et in censibus meis de Lomes sexaginta decem solidos, reddendos de tenemento Guillelmi de Repentigniaco in natali sancti Johannis Baptiste, et unum modium molture communis ad mensuram Britolii percipiendum, dimidium modium in molendino meo de Calceia, et aliud dimidium subtus Chambriacum in molendino meo ibi sito, scilicet singulis mensibus singulas minas [in] singulis molendinis. Verum ut in capella predicta solito uberius divinum servicium celebretur, et cooperante divina clementia personarum numerus in posterum augeatur, dono et concedo fratribus predictis, in augmentum reddituum suorum, assensu, predictorum M., uxoris, J. et R. liberorum meorum, pratum meum quod habebam manerio predicto contiguum, ad suum edificium faciendum, et totam aquam in latum et in longum, sicut pratum predictum se comportat, quod pratum fuit Roberti de Mara, ita quod possint eam deducere ad officinas et necessaria domus sue, dum tamen ad alveum molendini mei libere revertatur, et ita quod in dicto alveo predicti fratres piscandi non habeant potestatem. Do eis etiam et concedo in precium tresdecim librarum annui redditus, scilicet quatuor libras turonensium percipiendas in tenemento Ricardi dicti Juvenis ad festum omnium Sanctorum apud Pouteriam, in parrochia de Essartis, et quatuor libras in censibus meis de Lomes ad natale Domini, super tenementum Thome de Bosco Beloti, et omnes vineas meas sitas apud Tillerias pro precio centum solidorum, quas dicti fratres tenebunt et possidebunt sicut in meo dominio possidebam, que continent quatuor arpenta vel circiter. Ego autem predicta Margareta, uxor dicti Gilleberti, domini mei volens gressu sequi vestigia salutari, et saluti anime mee necnon et animarum primogenitorum meorum in aliquo providere, fratribus et loco predictis dono et concedo imperpetuum viginti tria arpenta terre et dimidium in propria hereditate mea, assensu et voluntate ejusdem Gilleberti, mariti mei, que sita sunt apud Villam Novam subtus Donnum Martinum, videlicet decem arpenta apud Rupticia, juxta terram domini Galteri de Alneto, militis, ex una parte, et terram monachorum Karoli Loci, ex altera, et quatuor arpenta inter Villam Novam et crucem Guionis, contigua terre domini Manasserii militis, ex una parte, et terre Guion le Vidame, ex altera. Et octo arpenta inter Villam Novam et Malum Respectum, contigua semite que ducit de Villa Nova apud Malum Respectum, et unum arpentum et dimidium apud Henrici Foveam. Que omnia do in precium quindecim librarum turonensium annui redditus, volens et concedens quod ea habeant et teneant dicti fratres imperpetuum ut puram, perpetuam et omnino liberam elemosinam, et quod de eis tanquam de re sua propria suam possint facere voluntatem ; et ut predicti fratres hec omnia in presenti pagina nominata et expressa, sicut superius dictum est, in singulis imperpetuum possideant, et per se vel per proprios nuncios, sicut puram et omnino liberam elemosinam, percipiant absque reclamatione nostra vel heredum nostrorum, locis et terminis supradictis, ego predictus Gillebertus et ego Margareta, uxor ejus, ad deffendendum, garantizandum contra omnes nos et heredes nostros obligamus et tenemus obligatos. Et ad deserviendum eidem capelle erunt tres fratres sacerdotes ordinis supradicti ad minus, qui ibidem imperpetuum divina mysteria celebrabunt. Et ne super hoc aliqua dubitatio in posterum valeat suboriri, nos Gillebertus, Margareta, Johannes et Rogerus supradicti presentem paginam sigillorum nostrorum munimine duximus roborandam. Actum anno Domini M° CC° quadragesimo octavo, mense februario. In cujus rei testimonium presentibus litteris sigillum nostrum apposuimus, anno incarnati Verbi M° CC° quinquagesimo, mense martio.